



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres**

**Tylkowski, Wojciech**

**Oliva, 1686**

XI. Quia est Spes omnium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

gis vitam ubi mala non erunt omnino ulla querenda est. Et *Chrysoſt.* *hom.*  
*in epist. ad Coloss.* ubi loquitur de virtute nom. *Jeſu*. Si non abegeris morbum, non  
hinc est, quod infirmum sit hoc nomen, sed quia morbus utilis est. Quod ipse  
confirmat *hom. 8. ad Romanos*. Si multi extiterent qui illo invocato sanati manerent  
fuerunt, accusare debent modicam suam fidem, non verò nominis infirmitatem.

## II. Quia est Spes omnium.

*S. sabbas Men. 3. Jan. ode 3.* In te quæ nulli unquam culpæ affinis fuit  
spem meam omnem repono: unaque lætus ad te omne ingenium meum, om-  
niumque converto. *Idem ibid. 3. Jan. ode 4.* Apud te omnem salutem meam, quæ  
me tenet fiducia, vitamque per te dirigendam depono, ô gratiâ plena Mater  
Virgo! Et *Damaſc. orat. 1. de dormit. V. M.* Tibi nos hodiernâ die afsidemus ô Do-  
mina, Domina, atque iterum dicam Domina, Dei Genitrix Virgo, animas nostras  
spem tuam non secus, atque ad firmissimam quandam anchoram alligantes, mentes  
animam, corpus, totos denique nos dicentes tibi, atque consecrantes, Etiam *S. Germon. in  
briarch. orat. de Deip.* Certè Domina Deipatēs, certè meum Refugiū, Vita, & Defensio  
Arma & Gloriatio, Spes & Robur meum. *S. Ephrem orat. de B. Virg.* Sub alis tuis cubo  
me, & protege me, & miserere mei, non mihi alia fiducia ô Virgo sincera, tu enim  
Portus meus ô Virgo inviolata, & præsens Auxiliatrix, denique sub tutela & pro-  
tectione tua totus sum. Monet *S. Bernard. super Missus.* Intuemini quanto devo-  
tionis affectu eam à nobis voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit  
in Maria, ut si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea novissima  
redundare, quæ ascendit delicijs affluens. Rurſus *Ephrem orat. ad S. Virg.* Dei Sponsa  
Domina nostra, unica Spes deſperatorum, oppreſſorum Subſidium, & ad te cu-  
rentium Auxilium præſentiſſimum, omnium denique Christianorum Perſugium.  
*S. Thom. Villanova conc. 3. de B. V. Nativit.* Sicut pulli volitantibus deſuper miltibus ad  
gallinæ alas accurrunt, ita & nos sub velamento alarum tuarum abscondimus,  
nescimus aliud Refugium niſi te, tu ſola es unica Spes noſtra in qua confidimus,  
tu ſola Patrona noſtra, ad quam omnes aſpicimus. Cùm *Apoc. 12.* ait *S. Iſidorus*  
ſignum magnum apparuiſſe in cœlo, mulierem ſcilicet amiſſam ſole, videtur  
mihi alluſiſſe ad daodecim ſigna Zodiaci: DEus enim videtur olim ſignum Leo-  
nis incoluiſſe *Oſeæ 13.* *Ero ei ſicut leona,* nunc Virginem Sol iuſtiæ ingreſſus, cum  
ſe ipſo amicit, & in ea homo factus. *2. Cor. 1. Deus miſericordiarum eſt: totius conſo-  
lationis vocatur.* *Greg. Nicomedi.* Per te nos regnum cœlorum ſperamus aſſecuti-  
ros, te noſtræ ſalutis Adjutricem, te auxiliij noſtri Patronam habemus, te propoſi-  
mus.



mus, cuius ore nostra dicatur excusatio, te nostræ fiduciæ circumferimus Gloria-  
tionem. *Bernardus serm. de Nativit. Mariæ.* Deus totius boni plenitudinem in Ma-  
ria posuit, & quidquid spei in nobis est, quidquid gratiæ ac salutis, ab ea redundat,  
quæ delicijs affluens in cœlum ascendit. *Idem paulo post.* Filioli hæc peccatorû Scala,  
hæc mea maxima Fiducia est, hæc tota Ratio spei meæ. *S. Ephrem orat. de Laud. Virg.*  
Ave animæ nostræ Spes fida, & optima. Explicat *S. Epiph.* quomodo sit Spes nostræ,  
nam de laude *B. Virg.* inquit: Mariam interpretari solemus Dominam, atque etiam  
Spem, peperit enim Dominum, qui est Spes totius mundi, nempe Christum: hinc  
illam vocant. *S. German. Episc. Constantinop. in encom. zone apud Metaphrasem ult. Aug.*  
Præbeas nobis vitam æternam ô Spes Christianorum! quæ pudore non afficeris.  
*Euthymius orat. de zona.* Respice servos tuos, respice: in te enim omnem spem no-  
stram collocavimus, & in te vivimus, & gloriamur, & sumus. *Matth. Philadelph:*  
*Archiepiscopus Ephesorum.* Es perstrenuum bello concussorum Præsidium, securæ,  
fida, sacra, tempestate jactatorum Anchora; singulare à calumniatoribus afflicto-  
rum Auxilium, desperantium Spes, dolentium Solatium, paratum item omnis ca-  
sus Subsidium, singularis salutis nostræ Propugnatio, denique tutissimus naufraga-  
rum Portus. *Geomet. hymno 4. de B. Virg.* Spes utriusque mundi. *Hymn. Græc. apud*  
*Buteon.* Spes æternorum bonorum. *Laurent. Justin. serm. de Nativ. B. V.* Spes delin-  
quentium. *Damasc. orat. 1. de Nativ. B. V.* Spes Christianorum. *Theodotian apud Buteon.*  
Spes desolatorum. *Bernard. super Salve.* Spes pereuntium in hac valle lachryma-  
rum. *German. Patriarch. Constantinop. cap. 10.* Si tu nos deserueris Sanctissima Deip.  
quonam con fugiemus? quid nobis fiet? Spiritus & Vita Christianorum. *Ephrem*  
*orat. de Virg.* Sub alis tuis custodi me, & protege me, miserere mei qui sum luto  
inquinatus, nè adversus me gloriatur sathanas exitiosissimus, nè in me exurgat  
execrandus inimicus meus, non mihi alia fiducia, tu enim meus Portus ô Virgo  
inviolata, & præfens Auxiliatrix: denique sub tutela & protectione tua totus sum,  
crebris lachrymis te ô celeberrima Mater imploro, & advolvor tibi.

12. Quia meruit à DEO laudari.

Ita me docet *Richard. à S. Laur. prolog. de laudib. Virg.* Scio quòd ineffabilis  
est laus ejus, etiamsi loqui detur Angelorum linguis: hanc enim gloriam sibi re-  
tinuit cœlestis Artifex, cujus Virgo Mater est opus speciale, nec alteri daturus est  
eam gloriam. Quarè de Maria per Prophetam dicit: *Secretum meum mihi. Isai. 24.*  
Tanti eam Deus facit, ut quasi consultet quantoperè eam exaltare debeat. *Cant. 8.*

K k

Quid